

*unum sumus*; I Joannis ultimo: *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt*: Matth. XXVIII: *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*. Hæc autem loca non probant. Nam in primo loco non intendit probare Christus unitatem realem essentialis in Personis, sed unitatem moralem seu affectus et officii sicut princeps, et minister sunt unum in operatione quæ per ministrum exercetur: ut constat ex subjuncta probatione Christi, qua explicavit Judæis, qua ratione dixisset se, et Patrem esse unum: *Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, vos dicitis quia blasphemias, quia dixi: Filius Dei sum?* Quæ probatio non cogit nisi ad unitatem moralem seu affectivam eorum qui sunt missi a Deo, et unum dicuntur cum Deo, seu vocantur dii, ex hoc autem inferre unitatem omnimodam in essentia, nulla consequentia est. Secundus, et tertius locus non probant unitatem omnimodam: nam tertius solum dicit quod baptizant in nomine Patris, etc. ubi ly nomen dignitatem unam designare potest, non essentialiam. Secundus dicit, quod illi tres unum sunt, sed quomodo unum sint, non exprimit; colligitur autem non esse unum in substantia, quia subditur: *Et tres sunt qui testimonium dant in terra Spiritus, aqua, et sanguis, et hi tres unum sunt*; sed hi tres non sunt unum in substantia: ergo neque Pater et Verbum, et Spiritus sanctus. Unde et ipse Dominus Joan. XVII, ad Patrem orans dicit: *Claritatem quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus*. Sed ipsi discipuli non erant unum essentialiter et realitate, sed affectu et voluntate: ergo nihil amplius sunt unum Pater et Filius.

VII. Confirmatur primo, pro parte Sabellii et ministrorum Transylva-

niæ, qui hoc tempore Sabellianismum introduxerunt per Servetum. Nam in Scripturis ponitur omnimoda unitas, et solitudo Dei, quod stare non potest, nisi sit una tantum Persona divina: ubi est enim pluralitas Personarum, ibi est simpliciter multitudo et non unitas tantum. Dicitur autem Deuteron. VI: *Audi Israel, Dominus Deus noster Dominus unus est*: et c. XXXII: *Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus præter me*: Isai. XLV: *Quia ego Deus, et non est alius*: Joan. V: *Pater in me manens, ipse facit opera*: et c. XIV: *Qui videt me, videt et Patrem, non credis, quia ego in Patre, et Pater in me est*. Quod utique verificari non potest, nisi quia Pater et Filius in se idem sunt, solum autem quoad connotata et effectus diversificantur. Et ad idem accipiunt alias auctoritates, quæ unitatem Dei explicant, ut Paulus I Corinth. VIII: *Nobis tamen unus est Deus Pater, ex quo omnia*: et Joan. XVII: *Ut cognoscant te solum Deum*; et alia similia: videtur enim ipso termino unitatis excludi pluralitatem Personarum in Deo. Addunt Transylvani: Scriptura non novit alium Christum, quam natum ex Virgine, passum, mortuum, etc. nec Apostoli et evangelistæ narrant aliquid Christi gestum ante carnem: ergo non datur Christus qui sit Deus ab æterno, sed illa Persona Patris, quæ est ab æterno, dicitur Christus, cum in tempore carnem sumpsit. Unde et Jesus dicitur factus in tempore Dominus, et Christus a Deo, juxta illud Petri Actorum II: *Certissime sciat omnis domus Israel, quia et Dominum et Christum fecit Deus hunc Jesum, quem vos crucifixistis*; ergo non datur persona heri Christi quæ fuerit ab æterno: qui enim est æternus Deus, non potest fieri in tempore Dominus et Christus, quia id semper naturaliter fuisse. Et ad idem faciunt auctoritates su-

pra adductæ, quæ verum Christum non solum factum, sed creatum, et creaturam dicunt: talis enim persona non potuit esse ab æterno, sed solum ex connotatione effectus temporalis sic denominatur.

VIII. Confirmatur secundo, quia Dominus dixit: *Beatius est dare quam accipere*, Act. XX, sed Pater dat, et Filius accipit, et sibi datum fatetur, Matth. XXVIII: *Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra*: et Joan. V: *Dedit ei vitam habere in semetipso*: Joan. X: *Pater quod dedit mihi, majus omnibus est*: ergo Pater est beatior Filio. Nec obstat quod naturaliter, et necessario det Filio, quia etiam in necessariis perfectius est dare quam accipere, ut patet in causa, et causato. Omitto nugæ quasdam et sophismata istorum hæreticorum, ut est illud: Christus est Filius veri Dei: ergo qui non habet Filium Christum non est verus Deus, sed sola Trinitas non habet Christum verum Filium: ergo tota Trinitas non est verus Deus. Item Christus est mediator veri Dei, sed solum est mediator ad Patrem, et non ad Trinitatem, unde orationes Ecclesiæ diriguntur ad Patrem per Christum: ergo Pater et non Trinitas est verus Deus. Omitto et mendacia, sicut cum dicunt Ebionitas dixisse quod Christus æternus descendit in hominem Jesum, nec faciebant Christum purum hominem, et sic non esse Ebionitas dicunt, qui dicimus Christum esse Personam æternam distinctam a Patre.

IX. Respondetur ad principale argumentum, loca nobis inducta esse certissima, nec obstare ea, quæ in contrarium obijciuntur: nam ad ea quæ opponuntur contra primum locum, dicimus Christum duo intendisse explicare Judæis in illo loco; alterum se esse vere Deum, et consequenter unius naturæ cum Patre, non extraneæ. Et hoc paulatim in-

duxit, dicendo prius quod id quod sibi dederat Pater majus omnibus est (quod utique non est nisi vera divinitas: hæc enim sola est omnibus rebus major) et deinde addidit hoc magis explicans: *Ego et Pater unum sumus*: quod certe si non intelligeretur de unitate omnimoda in divina natura, infirmaretur quod prius dixerat, illud sibi datum esse majus omnibus. Unde et Judæi intellexerunt ipsum de vera divinitate fuisse locutum, quia dixerunt blasphemasse: *Quia cum esset homo, se faceret Deum*. Alterum est, manifestare Judæis se non blasphemasse, nec illa verba sua continere blasphemiam. Et ad hoc induxit probationem allatam in argumento, quasi a minori ad majus: Si lex vocat deos ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura, nec blasphemiam continet, a fortiori non erit blasphemia appellare me Deum qui specialiter sanctificatus, et missus sum a Patre in mundum. Unde hæc probatio non tendit directe ad probandum se esse Deum, aut id quod dixerat se esse unum cum Patre, sed ad probandum in illis verbis non contineri blasphemiam, non vero ut diminuat et reformet id quod dixerat se esse unum cum Deo, quasi vellet se esse unum ministerialiter, sicut illi ad quos Dei sermo factus est, non substantialiter. Nam quod non voluerit hoc diminuere, patet manifeste, quia probato quod in suis verbis non esset blasphemiam, redit ad manifestandum se esse verum Deum in verbis sequentibus: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, et mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, et credatis quia Pater in me est, et ego in Patre*. Quæ verba stare non possunt, si solum esset Deus participative, sicut minister, et non substantialiter, quia esse in

Patre, et Patrem in ipso, de nullo ministro verificari potest. Et licet per sacramentum dicat Christus se esse in nobis, et nos in ipso, tamen manifeste id docet fieri per manducationem, quæ unitatem essentialem excludit. Hic autem dicit Patrem esse in ipso, et ipsum in Patre, quia facit opera Patris, quod est esse in ipso per communicationem ejusdem virtutis, atque adeo et naturæ.

X. De secundo et tertio loco allato in argumento dicimus efficacia esse. Nam in illo loco: *Baptizantes eos in nomine Patris, etc.* dico quod ly in nomine non dicit nudum nomen, et vacuum, nec dignitatem accidentalem, sed supremam et divinam, atque adeo substantialem. De illo autem loco: *Tres sunt qui testimonium dant in celo, et hi tres unum sunt*, dicimus etiam efficaciter probare hanc unitatem substantialem, quia simpliciter et sine aliquo addito accidentali unum esse affirmat. Nec obstat quod subditur in similitudinem hujus unitatis: *Et tres sunt qui testimonium dant in terra, etc.* Hoc enim ab aliquibus transfertur et explicatur ex Græco: *Et hi tres in unum sunt*; ubi non designatur quod sint unum, sicut cum dicitur Pater, Verbum, et Spiritus sanctus unum sunt. Ita p. Vasquez hic disp. cix, cap. ii, num. cxxxii. Sed tamen cum nostra vulgata non ponat illam particulam in unum sunt, sed simpliciter unum sunt, et hæc vulgata defendenda est, non est cur recurramus ad illam Græcam lectionem. Sensus ergo planus est, quod Spiritus, aqua, et sanguis, quæ tempore passionis Christi testificata sunt de ipso, Spiritus quidem cum clamando expiravit, aqua vero et sanguis, quia fluxerunt de latere ejus, hæc tria pertinent ad componendam unam substantiam humanam in Christo; et similiter Pater, Verbum, et Spiritus sanctus pertinent ad

unam substantiam, non quidem compositam, quia divina est, sed summe unam et simplicem. Si vero loquatur ibi Joannes de sacramento baptismi, sensus erit quod Spiritus, aqua, et sanguis sunt unum in ratione sacramenti, quia non dicunt aliam naturam in qua unum sint; at vero Pater, Verbum et Spiritus sanctus sunt etiam unum, non quidem in ratione sacramenti, quod ibi locum non habet, sed in ratione divinitatis.

XI. Ad primam confirmationem respondetur, omnia illa loca quæ unum Deum affirmant, non esse contra nos, quia tres Personæ non sunt tres dii, sed unus Deus. Ex eo ergo quod unus Deus affirmetur, non tollitur distinctio Personarum, sed illas Personas plures deos esse negatur. Loca autem quæ Deum solum esse affirmant, non est per exclusionem Personarum, quæ sunt idemmet solus Deus, sed aliorum deorum, seu per exclusionem extraneæ naturæ, et eorum quæ illam habent. Quando autem dicitur Pater manere in Filio, esse in Filio, videri viso Filio, et e contra, non inde probatur unitas personæ in Deo, sed solum naturæ; quin potius esse, vel manere in Filio aut Filium in Patre, non dicitur congrue de eadem Persona, sed de distincta: nemo enim dicitur manere in seipso, esse in se ipso, etc. ut bene notat S. Thomas solvens hoc argumentum Sabellianorum iv contra gent. c. ix. Ad id vero quod addunt Transylvani, facilis est responsio: agnoscunt enim Apostoli Christum ab æterno in persona, licet in tempore factus sit homo, ut Paulus ad Hebr. xiii: *Jesus Christus heri et hodie ipse et in sæcula*; et Joan. i: *In principio erat Verbum*. Quæ autem ante carnem gesserit, manifeste dicunt: *Omnia per ipsum facta sunt*, Joan. i: *Omnia per ipsum, et in ipso creata sunt*,

*et omnia in ipso constant*, ad Coloss. i: *Per quem fecit et sæcula, portans omnia Verbo virtutis suæ*, ad Heb. i. Et iterum ibi: *Tu in initio terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt celi*. Denique: *Quæcumque Pater facit, et Filius similiter facit*, Joan. v. Quod vero dixit Petrus hunc Jesum factum fuisse Dominum, et Christum a Deo, dicimus factum esse Dominum ut hominem: nam etiam in humana natura accepit nomen super omne nomen, quod in hoc sæculo, et in futuro nominatur, ut dicit Paulus. Hoc autem non fuit ab æterno, quia ab æterno fuit Dominus tamquam Deus, id que naturaliter, postea ut homo fuit Dominus beneficio Dei. Reliquas auctoritates supra adductas contra Christi divinitatem, ibi solvimus.

XII. Ad secundam confirmationem respondetur, quod beatius, est dare, quam accipere, quando id quod datur non est tantum, nec idem quod ipsemet dans, quando autem id quod accipitur est unum, et idem cum ipsomet dante, non est minus beatum accipere, quam dare, quia non minus accipitur in eo cui datur, quam sit in eo qui dat: identificat enim in sua natura ipsam totam et integram substantiam dantis. Unde non solum nitimur in eo quod naturaliter, et necessario Deus dat Filio suam generationem, sed in eo potius, quia ista donatio totum quod se tenet ex parte substantiæ dantis, communicat, et sic ille qui accipit non manet distinctus a dante, nisi in oppositione relationis, quæ est inter dantem et accipientem, inter procedentem et producentem, in substantia autem et perfectione non manet distinctus, sed idem. Itaque quando datur aliquid per identitatem cum dante, non est beatius dare quam accipere: si quidem manent idem in perfectione, quando autem distinctum est id quod datur

ab eo qui dat, beatius est dare quam accipere, quia tunc accipiens est in aliqua potentialitate et indigentia respectu dantis. Ubi autem nulla est indigentia accipientis, non est beatius dare quam accipere, ut dicit Augustinus lib. iii contra Maximinum, c. xxiv.

XIII. Ad ea quæ sophisticè obijciuntur, facilis est responsio. Prima enim consequentia peccata non distributa ad distributum ex affirmativa inferendo negativam, ut si dicas: Qui est grammaticus est verus homo; ergo qui non est grammaticus, non est verus homo: Paulus est filius veri hominis; ergo qui non habet Paulum filium, non est verus homo. Secunda consequentia peccata eodem modo a non distributa ad distributum, ab affirmativa ad negativam. Stat enim bene quod Christus sit mediator veri Dei, qui est Pater, et tamen quod alius sit verus Deus, erga quem non sit mediator, ut Spiritus sanctus. Sed veritas est, quod Christus ut homo est mediator respectu totius Trinitatis, sicut a tota Trinitate missus est Christus ut homo, et incarnatio a tota Trinitate facta est, ut ipsi Trinitati fieret satisfactio, et ab ipsa gratiam Christus mereatur pro nobis. Quod autem orationes dirigantur ad Patrem, dicimus id esse, quia in Patre, ut in prima Persona tota Trinitas intenditur; et tamen ne aliæ Personæ maneant exclusæ, includuntur orationes, dicendo: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sanctis. Mendacia Transylvanorum non debemus curare: nam Ebionem dixisse quod Jesus fuit homo purus, constat ex S. Ignatio epistola ad Philadelphenses; ex Irenæo lib. iii, cap. xx, et lib. i, cap. xxv et xxvi; ex Tertulliano libro de carne Christi, et libro de præscriptionibus hæreticorum, cap. XLVIII; et Augustino libro de hæresibus, hæresi x, et aliis.